

ulnam, tùm ad brachium, cum convulsionibus lævissimis, ut muscoli videbantur moveri; demùm intrabat dolor abdomen, quod tympani instar extendebatur, cum anxietate et palpitatione; in quovis loco vix ultrà  $1/2$  horam residebat dolor, sed in abdomine diutiùs, quod borborygmis resonabat, ac si vivum intùs latuisset animal; rediit dolor sæpiùs 14 vel 24 die; imprimis aggreditur tempore vespertino. *Volatica scorbutica* Barthol. Act. Dan. 2, n. 118.

*Glus*, vocabulum antiquum pro *Glutine*, est urina cujus sedimentum glutinosum evadit, ut in quibusdam calculosis; credunt authores esse *Hæmorrhoides* mucosas, quæ viam invenère per vesicam.

Ego ipse antè aliquot annos hoc vitio obnoxius fui. Nullum omninò sensi incommodum, sed dùm urina è matulà effundebatur è supremâ concameratione domûs, sedimentum erat omne viscosum, ità ut cohærebat usquè in plateam per 16 et ultrà pedes. Verebar hoc oriri à latente in vesicâ calculo, licèt nullos sensi dolores, nulla signa alia calculi; consulebam varios amicos, frustrà tentabantur omnia. Durabat ultrà annum; tandem fortuitò fui vocatus ad cœnam apud amicum: inter fereula etiàm proponebantur, acetarii instar, *Cepæ* istæ grandes *Ægyptiæ* seu *Ruthenæ* dictæ